

### **Horatius III 10**

Extremum Tanain si biberes, Lyce,  
saevo nupta viro, me tamen asperas  
porrectum ante foris obicere incolis  
plorares Aquilonibus.

Audis quo strepitu ianua, quo nemus                    5  
inter pulchra satum tecta remugiat  
ventis, et positas ut glaciet niues  
puro numine Iuppiter?

Ingratam Veneri pone superbiam,  
ne currente retro funis eat rota:                    10  
non te Penelopen difficilem procis  
Tyrrenus genuit parens.

O quamvis neque te munera nec preces  
nec tinctus viola pallor amantium  
nec vir Pieria paelice saucius                    15  
curuat, supplicibus tuis  
  
parcas, nec rigida mollior aesculo  
nec Mauris animum mitior anguibus:  
non hoc semper erit liminis aut aquae  
caelestis patiens latus.                            20

## Horatius I 25

Parcius iunctas quatiunt fenestras  
iactibus crebris iuvenes proterui  
nec tibi somnos adimunt amatque  
ianua limen,

quae prius multum facilis movebat        5  
cardines. Audis minus et minus iam:  
'Me tuo longas perevnte noctes,  
Lydia, dormis?'

Invicem moechos anus arrogantis  
flebis in solo levis angiportu        10  
Thracio bacchante magis sub  
interlunia vento,

cum tibi flagrans amor et libido,  
quae solet matres furiare equorum,  
saeviet circa iecur ulcerosum        15  
non sine questu,

laeta quod pubes hedera virenti  
gaudeat pulla magis atque myrto,  
aridas frondes hiemis sodali  
dedit Euro.        20